



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

EPIST. LX.

VOTA vulgi spernenda: Naturam audiendam esse.

QVEROR, litigo, irascor. Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix tua, aut paedagogus, aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optauerint? O quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eò quidem inimiciora, quò cessere felicius. Iam non admiror, si omnia nos à primâ pueritiâ mala sequuntur: inter execrationes parentum creuimus. Exaudiant quoque dij nostram pro votis ¹ vocem gratuitam. Quousque poscemus aliquid deos, quasi nondum ipsi alere nos possimus? Quàm diu satiationibus implebimus ² magnarum vrbiũ campos? quàm diu nobis ³ populus metet? quàm diu ⁴ vnus mensẽ frumentum multa nauigia, & quidem non ex vno mari, subuehent? Taurus paucissimorum iugerum pascuis impletur: vna silua elephantis pluribus sufficit: B homo & terrâ pascitur, & mari. Quid ergo? tam insatiabilem nobis natura aluum dedit, cum tam modica corpora dedisset, vt vastissimorum edacissimorumque animalium auiditatem vinceremus? minimè. Quantulum est enim quod naturæ datur? paruo illa diimititur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaque (vt ait Sallustius) *ventri obedientes* animalium loco numeremus, non hominum: quosdam verò ne animalium quidem, sed mortuorum. Viuit is, qui se vitur: qui verò latitant & torpent, sic in domo sunt, tamquam ⁵ in conditiuo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.

EPIST. LXI.

EMENDARI & immutari studeamus: mortem cogitemus, vt semper imminentem, & ^C vtique venturam.

DESINAMVS quod voluimus velle. Ego certè id ago senex, non eadem velle, quæ puer volui. In hoc vnum eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meum est, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, vt mihi instar totius vite, sit dies. Nec mehercules ¹ tamquam vltimum rapio, sed sic illum adspicio, tamquam esse vel vltimus possit. Hoc animo tibi hanc epistolam scribo, tamquam cum maximè scribentem mors euocatura sit. Paratus exire sum, & idè ² fruor vitâ: quia quàm diu futurum hoc sit, ³ non nimis pendeo. Ante senectutem curavi, vt benè viuerem: in senectute, vt benè moriar. Benè autem mori, est libenter mori. Da operam, ne quid vnquam inuitus facias.

EPIST. LX. 1. VOCEM GRATVITAM.]

Quæ mercedem non trahat, externa non poscat.

2. MAGNARVM VRBIVM CAMPOS.] Notat latifundia, quæ priuati illi diuites tenebant, vel vrbius suffectura.

3. POPVLVS METET.] Tota natio aut prouincia aliqua messem nobis faciet.

4. VNVS MENSÆ FRUMENTVM.] Interpretor, vnus domini & domus, quæ familiam tantam habet. Legiones enim illa seruorum, vt Plinius appellat, multum frumentum requirebant: & adde cotidiana hospitalem mensam. Hæc autem frumenta non ex vno mari (supero, inferoq;) aduehebantur, nec ex vnâ regione. Seneca epist. XXXIX. Amnes, magnarum gentium termini, vsque ad ostium à fonte, vestri sunt. Latifundijs vestris maria cingi-

stis, trans Hadrianum, & Ionium, Ægeumque vester villicus regnat. Qui autem hic instrumentum, aut strumentum eodem sensu, pro frumento substitunt, & ad mensæ apparatus referunt; salantur, veteris moris opumq; ignari.

5. IN CONDITIVO.] Sepulchro, vbi condimur: quod Conditorium Suetonio, & vtrique Plinio.

6. NOMEN MARMORI.] Ritum sepulchrorum, Talis hic situs est.

EPIST. LXI. 1. TAMQVAM VLTIMVM RAPIO.] Et more vulgi voluptatibus me perfundo.

2. FRVOR VITA.] Securus & latus.

3. NON NIMIS PENDEO.] Sic veteres ferè, nec muto. Non anxius sum, neque animi pendeo.

4. SEP